

The *Liber Pharetrae* Project

Liber 3: De periculosis Caput 1: De voluntate (6)

Augustinus, *de Libero Arbitrio*:

Voluntas aversa
ab incommutabili et communi bono,
et conversa ad proprium bonum,
aut ad exterius, aut ad inferius, peccat.
Ad proprium bonum convertitur,
cum suae potestatis vult esse;
ad exterius autem, cum aliorum propria,
vel quaecumque ad se non pertinent,
cognoscere studet; ad inferius,
cum voluptatem corporis diligit,
atque ita homo superbus, et curiosus,
et lascivus effectus, excipitur ab illa vita,
quae in comparatione superioris vitae
mors est.

Voluntas autem aduersa
ab incommutabili et communi bono
et conuersa ad proprium bonum
aut ad exterius aut ad inferius, peccat.
Ad proprium conuertitur,
cum suae potestatis uult esse,
ad exterius, cum aliorum propria
uel quaecumque ad se non pertinent
cognoscere studet, ad inferius
cum uoluptatem corporis diligit.
Atque ita homo superbus et curiosus
et lasciuus effectus excipitur ab illa uita,
quae in comparatione superioris uitae
mors est;
quae tamen regitur administratione
diuinae prouidentiae, quae congruis
sedibus ordinat omnia et pro meritis sua
cuique distribuit.

Augustinus Hipponensis, *De libero arbitrio*, 2.19.53 (CCSL 29, W.M. Green ed., p.272, ll.59-69).